

Caspar Mauritius Georg Westarp

Disputatio Theologica De Angelis In Genere

Rostochi[i]: Kilius, 1652


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739998625>

Druck Freier  Zugang



RU. Med (1652)

Mauritius, Caspar
Vest.: Westarp, Georg



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
ANGELIS IN
GENERE.

18
Quam
CLEMENTER AUXILIANTE
DOMINO EXERCITIUM,
Cum consensu & approbatione Vene-
randæ Facultatis Theologicæ in Alma
Rofarum.

SUB PRÆSIDIO
VIRI Admodum Reverendi, Clarissimi &
Excellentissimi

DN. CASPARI MAURITII,
SS. Theol. D. & Professoris Publici,
Ecclesiastis ad D. Mar. Vigilantissimi, Fautoris
ac præceptoris suætatem
suspiciendi.

Ad placidam symphorizian publice proponit
GEORGIUS WESTARP,
Sufato-Westphalus.

Anno quem dat versus votivus
Xenla qVI paCIs Confers, faC eXeat orIs
Nostrls per CVffor genIVs: SIC paCe frlleMVR.
In Auditorio Majori die 26 Oct. qui est tertius post Festum
S. Michaelis horis ante meridianis.

ROSTOCHL.
Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr.

1659

Universitäts-
Bibliothek
Rostock



I. N. J.



Uam plurima sunt beneficia, quæ à Deo ter
Opt. Max. de super ad nos mortales derivantur, eaq;
ranta, ut creaturæ lingua, nec enarrari nedum digne
celebrari possint : Et hinc est quod vir ille secun-
dum cor Dei, hæc ipsa altius ponderans, toties ani-
mum in admirationem linguam in exclamationem

in Psalmis suis resolvat. Inter tanta autem beneficia divina non imme-
rito & illud refertur quod nos ex mera bonitate præsidio S. Angelo-
rum, inde ab ingressu nostro in hoc infirmitatis theatrum communiat:
Nos homines i. e. miseros & infirmos: Nos qui in mundo i. e. malo-
rum pelago, ubi princeps hujus mundi adversus illos, qui non sunt de
hoc mundo varîe ignita sua tela dirigit, variusq; malis eosdem fatigat:
contra hujus autem leoninos insultus ex adverso divina clementia An-
gelis suis mandavit super nos in vûs nostris, qui nos protegant, imo in
manibus portent (simili desumpto à nutrice portante tenellum infan-
tem) ne offendamus incauti ad varia obstacula & insidiarum pedicas
quas *μυερότερον* ille undiq; nobis struxit. Insigne div. Bonitatis
erga non indicium! Sed de hoc ipso suggestus pluribus. Animus est
nunc in laudem Creatoris nobiliss. hujus creaturæ, pro gratiæ divinæ
indultu, naturam paulo altius expendere. Adsit JEHOVAH Ze-
baoth cujus majestatem Angeli obvelata facie celebrant, sanctiq; Spiri-
tus sui afflatu mentem dirigat, ut hoc & omnia in laudem gloriosi no-
minis sui cedant. *Hac spe fretus sit θ.*

I.

DE Angelis *ουζήτων* quand. suscepturi, primo omnium de no-
mine agendum erit, cum non raro ex notitia nominis in ipsius rei
faciliorem cognitionem devehamur. Vocabulû igitur Angeli prima ori-
gine Græcum est, est enim *δὸν τῶ ἀγγέλλειν* i. e. nunciando, notatione
sic desumpta ab officio, notat enim Angelus missum, Legatum, quia
Deus eorum ministerio utitur, non quidem ex necessitate, neq; resp. sui
neq; resp. nostri, sed ex liberrima voluntate in V. T. dicitur *אֲנֹכִי*

rad inusit. ¶ Notatq; itidem legatum & nuncium: habet igitur in utroq; Testamento nomen ab officio.

2. *Aqui vocatio* hujus vocis fecunda est, quæ ut plerumq; ita & hic erroris genetrix apud quosdam extitisse videtur. Per dichotomiam ta evolvi potest: vocabulum Angeli vel ad signatur creatori vel creaturæ: si prius tum tribuitur *λόγῳ ἀσπίρκῳ* in V. T. qui rursus vel *ἀπὸ πᾶσ* ita dicitur Gen. 48. 16. vel cum addito, sicq; in V. T. *ὁ λόγῳ* dicitur Angelus Domini, angelus facierum, angelus fœderis Exod. 3. 4. Jud. 6. 12. Mal. 3. 27. 23. &c. Quod si Creaturæ: tum vel corporæ vel incorporeæ assignatur: priori modo notat vel legatum humanū Gen. 32. 3. Esai. 33. 7. vel divinum à Deo ad certam functionem obeundam destinatum, sicq; vicissim vel generaliter dicit omnem Ecclesiæ Doctorem legitime vocatum Mal. 2. 7. vel sum. in specie (α) pro Johanne Baptista in V. T. Mal. 3. 1. collato cum Mar. 1. 2. (β) De septem Episcopis Ecclesiarum Asiaticarum in N. T. Ap. 1. 20. Quatenus autem posteriori modo accipitur scil. pro creatura incorporea vocabulum angeli spiritibus cœlestibus communissime tribuitur idq; tum bonis tum malis 2. Pet. 2. 4. Rom. 8. 38. Mat. 2. 13. & passim alibi.

4. Priusquam progrediamur, pro vindicanda superioris θεσεως veritate paucula erunt in ipso vestibulo adferenda, ne isthæc postea in essentia Angelicæ consideratione nobis remoram quandam iniiciant: Diximus nomen Angeli etiam tribui Creatori & quidem *λόγῳ ἀσπίρκῳ* in V. T. & pro probatione hujus allegavimus loca Gen. 48. Ex. 3. Jud. 6. *Quæ. an per Angelū cujus mentio fit dictus in locis intelligatur increatus Angelus & in specie ὁ λόγῳ*: Sat vexata hæc quæstio in cujus decisione etiam illi qui alias nobiliss. aurum Ecclesiæ fundo superstruxerunt humani quid passi videntur. Ut autem hi qui extra controversiam, negativam tulerunt, excusationem merentur ita contra Photinianorum pertinax negatio prævia scriptura merito damnanda est, cum hi id eo faciant sine ut existentiam τῷ λόγῳ ante Nativitatem ex virg. & adeo ejus deitatem tollant: Hanc enim blasphemam suam assertionem ut eo facilius tuerentur, statuerunt; Quotiescumq; in S. Scriptura Angelus vel absolute vel cum addito loquens introducit, ita quidem, ut licet sibi & nomen Dei essentiale, & attributa actusq; soli Deo proprios tribuat, nudam tamen hic creaturam s. angelum creatum intelligi, qui representet personam Dei, & propter hanc representationem sui principalis mittentis sibi

sibi & nomen & attributa Dei tribuat, vocetq; se Jehovah cum tamen nihil minus sit quam Jehova.

5. Nos itaq; affirmative resp. nitentes duobus præcipue fulcris ex scriptura S. desumptis I. Quia nomen illud tetragrammaton J E H O V A H nulli creaturæ utut etiam excellentissimæ conditionis extra Deum est communicabile, Est enim nomen Dei essentialia & immediate, notat ipsam essentiam div. plusq; in recessu habet quam Græcum illud *κρείσ* per quod in N. T. interpretatur, recteq; in Apoc. redditur per illum qui est, qui erat & qui venturus (futurus) est, estq; sic essentialia infinitæ, immensæ & æternæ indicativum, quæ omnibus aliis rebus essentialia largitur. Ut ergo Deus in prima persona loquens solenniter sibi hoc nomen tribuit, ita nec nomen hoc, nec nominis hujus majestatici gloriam concedere vult alteri Es. 42. 9.

6. II. Quia Attributa div. nulli nudæ creaturæ sunt communicabilia, sunt enim nihil aliud quam ipsissimæ essentialia div. inadæquati conceptus & à parte rei cum ipsa essentialia div. identificantur: Estq; ratio hujus evidens, scil. quia Deus ens simplicissimum, actus purissimus omnis compositionis expers: Quod si autem jam attributa div. realiter ab essentialia differrent, tū huic superadventu suo eidem compositionis maculā imprimerent: Quod absit. Hinc ob talem identitatem essentialia cum attributo, quidam abstractivas prædicationes rectius quam concretivas hic adhiberi posse censuerunt. Cuiusq; ergo hæc attributa div. competunt eid. & ipsam essentialiam div. competere necesse est.

7. His suppositis ponderentur loca allegata V. C. Gen. 49. 16. Hic quem Jacob. v. 15. vocat Deum Abrahami illum in continuo orationis nexu v. 16. vocat Angelum qui ex omniibus malis se liberaverit, eumq; invocat & ab eodem benedictionem filiis Josephi adjuncta solemnè *χεροθεσίας* ritu precatur II. Gen. 3. ubi qui Angelus Domini dicitur v. 4, se in sequentibus absolute Jehovah, Deumq; Abrahami &c. vocat seq; liberatorem populi sui promittit. III. Jud. 6. ubi qui v. 12. dicitur Angelus Jehovah ille itidem v. 14. dicitur Jehovah absolute mittitque *ἀντοκρατοριώς* in prima persona Gideonem liberatorem Israelis eidemq; suam assistentiam in devincendo hoste pollicetur. conf. præterea Es. 63. 9.

8. Peculiariter autem hoc nomen Angeli Filio Dei in V. T. tribuitur, quia Hic erat, qui ab omni æternitate in S.S. Triados Concilio destinatus

Finatus erat mittendus liberator totius generis humani ex potestate ce-
nebrarum, (cujus typus quidam fuit quod Angelus hic Jehova popu-
lum suum ex Ægyptiaca servitute liberatum, in terram promissam de-
duxit conf. Ex. 23, 20.) & legatus qui nobis consilium Dei de salute no-
stra annunciaret. Plura videtis in disp. Pl. Rev. & excellentiss. Dn. Aug.
Varenij Præceptoris mei æviternum observandi Super cap. 3. Exod.

9. Jam recta ab Angelo increato ad creatum procedimus. Dari
Angelos (cum non defuerint qui illorum existentiam negarint ut Sad-
ducaei Act. 23. & avorum ætate Anabaptistæ teste Chemnitio) à diver-
sis diversimode probatur. Quidam Scholastici à possibilitate existen-
di ad actuale eorum existentiam medium probandi sumplerunt: Alij
ab absurdo argumentari videntur: Quia scil. maxima mundi perfectio
consistat in spiritualibus creaturis. Quod si e. Deus has neglexisset ac-
cusari posset q. non summe bonus esset, qui proximam sibi perfectio-
nem in intellectu immateriali consistentem noluerit creaturis commu-
nicare: Verum hæ rationes non videntur tanti ponderis ut animum
reddant ἀμετάθετον.

10. De facto dari Angelos omnium optime ex scriptura constat, quæ
partim eorum existentiam absolute, partim eorum creationem, item
lapsum quorundam exprimit. Ex libro naturæ optima ratio est, quæ
desumitur ab operationibus in hominibus obsessis & arreptitiis, illi
enim tales quandoq; patrant actus ad quos non sufficiunt ipsi ex
sefe quippe quandoq; rudes v. c. cum peregrinis linguis loquuntur,
blasphemias in Deum evomunt &c. qui actus sane non ad Deum referri
possunt nec etiam ad bonum Spiritum E. ad in alium.

11. *Definimus Angelos*, (qui alio nomine in S. scriptura dicuntur
Flammæ ignis, Filii Dei πνεύματα &c.) h. m. Angeli sunt spiritus de-
pendentes completi, intellectu & voluntate præditi, à Deo in summa
justitia & Bonitate creati, ut ipsum celebrent, ei serviant, ipsiq; æterna
felicitate fruantur.

12. Generis loco ponimus Spiritum, spirituale enim naturam
communem habent cum anima nostra: præterea eos Spiritus esse ex-
presse docet S. pagina quæ eos tali titulo beat Ebr. 1. 14. Mat. 12, 45, 2.
Paret idem ex virtute penetrandi qua cætera corpora penetrare facili
negotio possunt tum deniq; ex plurium in uno corpore hum. inhabita-
tione

tionem & coexistentia simultanea, cujus tragicum exemplum vid. Luc. 8,
30. ubi Legio (quæ secundum Suidam, & Isidorum 6000. personis
mensuratur) spirituum immundorum in uno homine habitare dicitur
conf. Mat. 12, 45.

13. Non ergo probamus illud Vorkii, qui alicubi, sibi plusquam ve-
rissimile videri, ait, angelos esse corporeos, nos prævia scriptura & ra-
tione contrarium verum esse, non verissimile videri probavimus: Nec
est quod ad Patres quosdam appeller: Quidam enim ex patribus, ut
notum est, etiam in fidei articulis quandoq; incommodius & liberalius
nimis locuti sunt, maxime ante mota certamina de hoc vel illo arriculo,
& sic recta animi sensa quandoq; incommodiori lingua expresserunt.
Sic Tertullianus etiam ipsum Deum corpus vocat, sumpto voc. corporis
pro substantia, Alii Patrem causam filii in divinis dixerunt. Nec appa-
ritio angelica in corpore, naturæ angelicæ corporeitatem infert.

14. Dum autem Spiritum generis I. ponimus, non hoc volumus
q. angelus cum Deo unum genus univocum participet, inæqualiter namq;
tribuitur Spiritus creaturæ & Enti illi *ὑπερσίστα*: illi sunt Spiritus finiti,
Hic infinitus: illi creati, & dependentes: Hic independens. Quod
adeo verum, ut sicut scriptura Deum solum dicit Bonum, solum im-
mortalem, ita ob talem concepsum eminentiam eum solum Spiritum,
dicere non sit absurdum, nempe propter talem independentiam, quate-
nus quod Deus habet ex naturæ necessitate & independenter, in ange-
lus habet ex libera communicationis gratia & dependenter. Et hinc
etiam est quod Ens illud infinitum ob suam supereminentem perfectio-
nem non patiatur se cum creaturis prædicamentorum cancellis con-
stringi. Concedimus igitur tantum analogicam convenientiam.

15. Ex eo quod Angeli dicuntur Spiritus completi, secessum fa-
ciunt ab anima nostra rationali; habent enim hi perfectionem in se ter-
minatam citra destinationem naturæ suæ ad complementum alterius.
Anima vero rationalis per se, ac primo, ex intentione naturæ tum natu-
rantis tum naturatæ ad id destinata est, ut informet corpus, adeoq; ut
forma una cum materia constituat compositum physicum, & omnino
ei accidit separatim existere: Nunquam enim nobilis hic corporis ho-
spes ex sede sua recessisset nisi homo temere orbitam legis præscriptæ
excessisset.

16. Ex hac essentia Angeli fluunt quædam proprietates reales, de
câdem demonstrabiles eæq; vel sunt positivæ vel negativæ. Positivas
dico

dico quæ terminis affirmativis de ea efferuntur v. c. simplicitas, finitas potentia: Negativas, quæ terminis negativis de eadem dicuntur v. c. in corruptibilitas, illocalitas, immobilitas. Negativæ dicuntur non quod simpliciter quandam carentiam dicant, sed quianegant vel remonent imperfectionem & hanc removendo simul contrariam perfectionem in angelo ponunt, sic indivisibilitas dum negat materialem imperfectionem è contra essentiæ simplicitatem stabilir.

17. Cum Angelus sit spiritualis naturæ hoc ipso etiam sua simplicitate gaudet, quo magis enim quid à materiali & crassa compositione, physica recedit & propius ad primum & simplicissimum Ens accedit, eo majori etiam perfectionis gradu beatur, illud enim est mensura perfectionum creaturarum, jam autem constat quod nulla creatura magis appropinquet Deo quam Angelus quippe qui est creatura nobilissima.

18. Interea tamen non nimia simplicitas iis est assignanda, nam licet illæ crassioris compositionis species iis non sint molestæ, non tamen ab omni compositionis plica liberi sunt, cum sint Entia dependentia. Componuntur igitur 1. Ex compositione, quam dicunt ex Esse & Essentia, ubi Quidam per essentiam intelligunt Ens unumquodq; quasi in abstracto, id quo est unumquodq; Ens, per Esse autem id quod est s. totum q. concretum, sicq; illud dicit tantum simplicem essentiam, hoc autem præterea etiam attributa involvit sic v. c. in Angelis aliud est quod sunt, aliud quo sunt, in Deo autem talis distinctio non habet locum ibi enim Deitas & Deus unum & idem sunt. Alii per essentiam intelligunt Rem quatenus indifferenter se habet ad esse actu & esse potestate, per esse autem ipsum esse rei actuale, per quod restringitur ejus indifferens Entitas ad classem Entis actualis, realis, sicq; & essentia Angeli fuit aliquando in potentia objectiva & ex tali potentia per creationem evocata fuit ad esse actuale. Componuntur 2. ex Actu & potentia. 3. ex Genere & differentia.

19. Componuntur deniq; ex subjecto & accidente, justitia enim Sanctitas bonitas, sunt attributa in angelo quæ realiter ab ejus essentia differunt, id quod separabilitas, quæ fundamentum est realis distinctionis, quin ipsa actualis separatio satis probavit, ubi qui ante lapsum erant valde boni, post lapsum dicuntur *οὐκ ἠνεύματοι τῆς πνεύματος* Ephes. 6. 12. Quia & in angelo est perfectibilis quædam potentia, sec. quam potest recipere ultiores perfectiones vel incrementum concreatarum qualitarum.

20. Fini

20. *Finitas* Ang. in genere probatur, quia duo infinita neq; in natura neq; extra naturam esse possunt. In specie vero hæc ipsa ex S. Scriptura patet, quæ eos creatos esse aperte asserit, sicq; illis initium figit suæ essentia, nempe principium illud in quo universa tum visibilia tum invisibilia condita sunt, cum ergo sint producti etiam necessario finitam habebunt essentiam. Certum est Angelos non existisse ante principium illud mosaicum, ut quidam male asseruerunt, sic enim phrasi scripturæ fuissent, æterni, cum sec. stylum Spiritus S. pro, æquipollentibus habeantur, ante mundum hunc esse & esse æternum conf. Ps 90. 3. prov. 8. 22. & seqq. Joh. 17. 5. Eph. 1. 4. 1. Pet. 1. 20. Sic & Johannes demonstraturus æternitatem τὸ ἄγος & conseq. deitatem, pro medio assumit illud: quia erat in principio i. e. cum universa per creationem suæ essentia originem nanciscerentur in principio certo ac determinato, jam tum erat ἰ ἄγος.

21. *Creati autem* sunt (prob. ex col. 1. 16. Ps. 146. 6. 5.) non ex essentia div. sic enim dii essent, nec ex ista indigesta mole, sic enim materiati essent, sed ex nihilo, eoq; non privato, vel potius naturalis indispositionis, sed pure negativo virtute omnipotentis, quomodo Dn. Chemnitius sex enumerat, in loc. de creat. quæ ex tali nihilo sint evocata scilicet cælum, terram, abyssum, lucem, animam rationalem & angelos.

22. Cum autem Moses in creatorum catalogo explicite mentionem non faciat creationis angelorum, hinc multa curiose *de tempore creationis* angelorum disputantur. Quidam eos statim in principio creatos esse statuunt, & cum Moses ait in principio creavit Deus cælum & terram, illi sub nomine cæli simul cælestis hujus domicilii incolas subintelligi autumant: Alii cum luce lucidos hos Spiritus creatos esse æstimant: Alii die secundo & eorum creationem & simul quorundam lapsum contigisse arbitrantur, eo quod ad illius diei opus non addatur illa approbatoria divina. Et vidit Deus quod esset bonum.

23. Verum nullæ hic rationes sunt quæ *ὑπόθεσιν* in animo parere possint. Sed cum fidei nullum hic metuendum periculum, nulli exallatis sententiis dicam scribimus: si tamen probabilitati locus esse debet, prior probabilior videtur.

24. *Potentia* Angelorum stupenda est humanas vires longe superans, tum bonorum Ps. 103. 2. Reg. 19. 35. 2. Pet. 3. 22. tum malorum. mar. 9. 20. mat. 4. 5. potentia hujus tragicum exemplum vid. Job. 1.

B

ubi

ubi de Diabolo dicitur, quod ignem Dei (i.e. magnum) excitavit, qui consumpsit pecudes Jobi, it ventum magnum suscitavit e plaga deserti, quo impetente 4. angulos domus, corruit illa super pueros, ita ut mortui sint, confer hic exempla obsessorum tum in sacra tum prophana historia.

25. Ut ut autem hæc eorum *infortia* late pateat, certis, tamen limitibus circumscribitur: Et præcipue potentia illa Angelica consistit, tum in motione corporum, tum in applicatione agentium & patientium naturalium. Sic Angelus Habacuc capillis prehensum ex judæa in Babylonum per aeravexit, sic & facile potuit princeps aeris Eph. 2. ignem & ventum in penicem Jobi sufflare cum omnia hæc in motione corporum sita sint. Huc et. refer quod varios morbos & cruciatus, Deo ipsi carenas laxante, homini conciliare possit, potest enim ille quia Spiritus humores & Spiritus animales in corpore hum. perturbare, eorum vires infirmare, compages membrorum distrabere, unde cruciatus & morbos oriri necesse est. Exemplo sit p̄ssimus Hiob quem infinitis cruciatibus ad animam usq; afflixit.

26. Imprimis etiam dum maxima agilitate unum corpus tollit & aliud in ejus locum substituit, miros effectus edere potest, & tali impostura eum usum fuisse in Ægypto, Exod. 7. plerumq; asseritur: Nam virtutem edendi miracula angelo plane denegamus. Non igitur revera fuere miracula quæ sæpe pro miraculis exclamarunt incauti mortales confer. act. 8. v. 9.

27. Ob Spiritualitatem suam gaudet quoq; privilegio *incorruptibilitatis*, quat. sc. à causa intrinsicâ naturali naturaliter agente non potest corrumpi, quat. in sinu suo proximam corruptibilitatis causam, pugnam nempe contrarium qualitarum, non fovet, quomodo nos in mortali nostro corpore naturæ hostem circumferimus, unde tamdiu pugnatur intra, sed & extra, donec tandem fabrica totius compositi collabascit: Alias resp. omnipotentia div. ut causæ extrinsecæ, eos corruptibiles dici posse, non negamus ob dependentiam ab eadem.

28. Propter talem indefectibilitatem suæ essentia *ponuntur in ævo*: in ævo enim esse dicuntur ea, quæ possunt habere essentia suæ initium, non autem ex se & sua natura finem s. terminum. Jam Angeli licet principium suæ essentia agnoscant creationem, tamen, ut dictum, per naturalem intrinsicam aliquam vim corruptivam destrui nequeant.

29. *Illocalitas* eodem modo de Angelo demonstratur per spiritualitatem

litatem suam, hæc namq; causa est, quod non possit includi loco physico, talis enim modus essendi in loco sequitur quantitatem. Cumq; voc. *Loci* $\kappa\omicron\tau$ $\epsilon\zeta\omicron\chi\eta\nu$ & primario sumatur pro loco physico, circumscriptive corpus ambiente, hinc philosophi pro hoc voc. *Loci* vocem $\tau\epsilon$ *ubi* in definitione præsentia angelicæ substituerunt, ut pote quod latius & generalius vocabulo loci, Recte ergo dicitur angelum esse in aliquo ubi, minus commode in loco. Nota tripliciter aliquid esse alicubi: 1. *Circumscriptive*, ut corpora quanta 2. *definitive*, quod alicubi est ut totum in toto spacio, & totum in parte spaciæ s. quod est totum in toto & totum in qualibet parte totius: & hoc modo Angeli & anima rationalis in aliquo $\pi\epsilon$ s. ubi definitive esse dicuntur. 3. *Repletive*, & hoc modo Deus tantum ob essentia suæ immensitatem & intra & extra mundum adest, omnia adimplens. Tale autem definitum ubi convenire angelis, probatur ex essentia eorum finitate: Hæc enim cum sit finita etiam præsentia eorum infinita esse nequit, sed certum requirit spatium, ultra quod eodem tempore non existit, & hinc Angelus non potest esse in pluribus ubi adæquatis simul naturaliter.

30. Sicut à cæteris conditionibus materialibus immunis est angelica natura, sic quoq; recte de illis *negatur quod sint mobiles physice*, quippe talis motus convenit tantum rebus materiam & formam habentibus, requiritur enim in tali motu pars movens i. e. forma tum & pars mota i. e. materia.

31. Quod si autem voc. motus late sumatur pro mutatione ubi angelici v. c. quando præsentiam suam exhibet uni spacio dimisso alio, tum talem motum angelo tribui debere fatemur, cum ita perfectionem quandam inferat, & hoc modo feruntur motu celerrimo, & quasi instantaneo: causa est eorum immaterialitas, ob eam enim nec mole corporea retrahi, nec medii resistantia impediri, nec ab impenetrabilitate partium mobilis retundi possunt.

32. De numero & distinctione Angelorum etiam varia quæstiones moveri solent, sed cum in omnibus hic definitiva ex s. codice exacte dari nequeat, dubia tantum conjectura ab aliis atq; alius sparguntur quæ alibi prolixè videri possunt. Maximum Angelorum numerum esse nullum potest esse dubium, tum bonorum vid. Dan. 7. 10. 53. Ap. 5. 11. tum malorum, conf. Mar. 5. 9. Ap. 127. Bonorum autem numerum malorum superare probabiliter asseritur ex 2. Reg. 6. 16.

33. Distinctionem aliquam inter angelos intercedere scriptura expresse docet, dum eos 1. in genere distinguit in Bonos & malos, ubi not. Bonos hic distingui à malis non essentialiter sed accidentaliter, non bonitate metaphysica sed Ethica 2. dum in specie bonorum exercitum in-
peculiares ordines quasi dispescit, quando alios vocat angelos simpliciter, alios archangelos, Thronos, potestates, principatus. Ubi tamen pontificii secuti Pseudo-Dionysium nimis rationi frenum laxant, dum hic tres hierarchias fabricant, & de ordinibus his ita sermocinantur ac si vivi eorum spectatores extitissent. Abs dubio autem Deus, qui ordinis Deus est, hoc ipso indicare voluit quod etiam in hierarchia humana certus ordo esse & observari debeat.

34. Credibile est etiam inter malos esse quendam ordinem ex Matt. 25. 41. Ubi in sententia definitiva, olim in universali die censorio promulganda 1. mentio fit diaboli 2. Angelorum eius conf. Ap. 12. 7. Matt. 12. v. 24. 27. Nec desunt qui probabiliter asserunt, fuisse aliquem principem Angelorum qui primo à creatore suo defecerit, & qui postea alios etiam ad apostasiam lacefferit, unde una cum angelis suis ex summo in imum derurbatus sit, potius autem hic ordo à *malis* quam à *malis* nomine venit.

35. *Operationes*, Angelorum ex essentia fluentes sunt duplices vel immanentes vel transeuntes. *Immanentes* sunt, quæ intra essentiam Angeli manent. *Transeuntes*, quæ externum aliquod objectum requirunt in quo terminantur. Inrerne sunt intellectio & volitio.

36. In intellectu & volitione Ang. distinguenda sunt principium, actus, objectum & modus. *Principium intellectio* ang. est potentia intelligendi s. intellectualitas: Hanc ut summam proprietatem Angelo competere, probatur à Thomâ ab ejus immaterialitate: Immaterialitas, inquit, alicujus rei ratio est quare sit cognoscitiva & juxta gradum immaterialitatis est gradus cognitionis. *Intelligere*, illos actu satis ex scriptura patet, tum & ratio hujus est: quia intellectio est actio nobilissima vitalium, quæ animæ nostræ competit, ergo multo magis hæc angelis concedenda erit. Notetur tamen *intellectio* ut & *volitionis actus*, vere esse accidentia realiter ab essentia angeli distincta, id quod mutabilitas horum actuum satis insinuat, nam angeli intellectio extendi, variari, mutari & multiplicari potest, non autem ita angelorum essentia. Et ad summam tantum perfectionem pertinet, ut intellectio sit ipsa substantia intellectus.

37. Ob-

37. *Objectum intellectus Angeli* latissime patet: ponderetur hic animæ rationalis virtus, quam habet in sua intellectione tum intensive tum extensive, illas enim perfectiones animæ in mentibus his separatis excellentiori modo reperiri nullum potest esse dubium, nihilominus tamen objectum hoc suos quoque habet limites. Cognoscunt autem tum seipso mutuo, tum & creaturas, quod sacra scriptura aperte affirmat, illa enim testatur quod angeli boni emittantur propter eos, sui sunt futuri hæredes vitæ æternæ, it. quod curam piorum gerant, eos in viis suis in manibus portent &c. Ergo omnino cognoscent eos quibus tam liberaliter officia sua offerunt.

38. *Cæterum non cognoscunt liberas cogitationes mentis & animi desideria, quat. in ipsa mente adhuc latitant, nec externis indiciis produntur,* talem enim *negodno7voctia* omniscientia div. sibi soli reservavit vid. 2. par. 6. 30. Pl. 44. 22. Jer. 17. 10. Act. 1. 24. *Nec 2. futura Contingentia, Casualia, fortuita,* nam & talium scientia soli Deo propria est conf. Ef. 46. 9. cap. 41. 23. Dan. 11. 27. *Nec 3. Mystera sublimia naturalem capacitatem intellectus finiri excedentia* confer. 1. Pet. 1. 12. ubi dicitur quod Angeli desiderant *ωδρνψα* i. e. incurvato quasi capite, summo desiderio introspicere mysteria & decreta de reparatione lapsi generis humani. conf. Eph. 3. 10.

39. *Modus cognitionis Ang. triplex est. 1. Naturalis,* quat. naturali quadam vi, per creationem illis communicata res cognoscunt sic v. e. cognoscunt Deum (apprehensive non comprehensive) aliasque res naturales 2. *Revelationis* cum illa quæ supra naturæ captum posita sunt, intellectui angelico per peculiarem illuminationem & revelationem manifestantur, ita v. c. naturaliter Deum cognoscere possunt ut nec mysterium SS. Trinitatis eo pacto sciunt, sic & mysteria de incarnatione filii Dei, ac de salute nostra reparanda tantum revelatione sciunt. 3. *Experimentalis,* quia enim Angeli rerum naturalium vires, dispositiones, effectus jam per tot seculorum decursum observarunt, & præterea majori intellectus lumine valent quam homines, proinde excellenti experientia eos pollere nullum potest esse dubium, & hinc ex variis signis antecedentibus, rei alicujus notabilem mutationem facile conjicere possunt. Et huc referendæ sunt multæ prædictiones Diaboli olim per sua organa facta; cum autem quæcunq; futura sunt positive, dependeant à Dei concursu, hic autem liber sit, & eventum impedire possit, imo sæpe actu impediatur, hinc

hinc fallacibus & ambiguis responſionibus miſeris mortalibus ſæpiſſime illuſit, adeo ut tandem reiſa ſuo extremo cum damno experti fuerint, ſe fruſtra à patre mendacii veritatem exſpectaſſe.

40. *Voluntate Angelum præditum eſſe* patet ex intellectu, hujus enim individuus comes eſt appetitus ſ. voluntas. Objectum voluntatis Ang. eouſq; ſe extendit, quouſq; objectum intellectus, ſed tantum quatenus in eo reperitur ratio Boni. Voluntati individuo nexu adhæret libertas: Hanc etiam angelis ineſſe probatur: quia animæ noſtræ competit libertas E. multo magis angelo talis perfectio tribuenda erit 2. Ex eventu ſ. lapſu quorundam, uti libere quidam *ἰδιῶν οὐκ ἔχοντες* reliquerunt i.e. (expl. D. Chemnit. in loc. de ang.) quia certam ſuam quaſi ſtationem in qua collocati erant, quia erant Exercitus Dei, transfugæ facti deſeruerunt, quidam autem in veritate perſtiterunt.

41. *Non enim probamus rationem Zanchii*, quam ille ponit lapſus quorundam angelorum, cæterorum autem in bono permanentiæ, ſc. hanc: *ideo cadentibus aliis bonos perſiſtiſſe, quia illi ad gratiam hanc perſiſtendi electi & adeo prædeſtinati fuerint: reliquos v. à veritate deſeciſſe, quia ab hac gratia reſecti fuerim & reprobat.* Juxta Zanchium enim ita cauſa prima hujus lapſus & peccati quorundam Angelorum non fuit libertatis arbitrii abuſus, ſed abſolutum Dei decretum; abſoluta eorum reprobatio; Ergone Ter Opt. Creator prima cauſa tanti peccati in creatura ſua innocenti, pro quo æternum torquebitur à facie roboris ſui? Abſurdum, non dicam blaſphemum!

42. Breviter jam de actionibus tranſeuntibus: ubi imprimis apparitio angeli in corpore aſſumpto conſideranda venit, Ex præced. patet Angelos ab omni concretionem materiali liberos eſſe, hæc autem immaterialitas cauſa eſt, quod noſtris corporeis oculis, non extraordinario modo illuſtratis, eos videre nequeamus, non enim eſt proportio inter ſpiritualem ſubſtantiam & oculos noſtros in ſuo naturali in ſtatu conſtitutos, quia enim hi ex certa qualitarum temperie conſtant, ſit ut viſus noſter ab excellentiori objecto lædatur, poſito autem tali objecto quod plane nullam habet proportionem ad organum hoc, illud viſione nequidem attingat. Quod ſi ergo angeli viſui noſtro ſeſe obſicere velint neceſſe eſt ut ſub corporeo habitu eidem ſe ſiſtant.

43. Quod attinet igitur talia corpora, dicimus Angelos ea ſibi non producere per virtutem creatricem: Angeli enim nullam ſubſtantiam creare

creare possunt, hoc enim infinitam requirit potentiam, quæ nulli creaturæ extra Deum communicabilis est: cum autem jam ante constet de insigni illorū potentia, hinc Angelus, imprimis cū accedit vis imperii divini, ex materia aliqua Elementari corpus sibi facile effingere potest & ad tempus, donec suis defunctus sit muniis, assumere. Plerumq; autem corpus hoc aereæ statuitur naturæ ob evanescendi facilitatem, quæ in talibus corporibus sæpius observata fuit. Potest igitur Angelus vel aera condensare vel etiam alia admiscere elementa ut ita sub forma ad spectabili, & determinata corpus appareat.

44. *De modo unionis nostr. hunc non esse hypostaticum, nec essentialem, sed accidentalem, per modum formæ assistentis non informantis.* Atq; hinc est quod Angelus in tali adsumpto corpore non possit exercere actus vitales tales, ad quos aliàs extra illud corpus per naturam suam est impropportionatus, v. c. cibum concoquere, per *χύλωσιν, αἱματοποίησιν & ὁμοίωσιν* eundem in corporis assumpti substantiam convertere &c. Quod si quærat, quorsum E. cibus adsumptus? dici potest eum vel intus per flammam vel per aliam quandam virtutem divinam nobis incongnitam absumi.

45. *Finis creationis Angelorum per se & primariò à Deo intentus fuit, ut hi Seraphici spiritus semper stare ante majestaticum ejus Thronum, ejusq; nomen gloriosum perpetuo celebrarent, jussaq; ejus prompte expeditent.* Non enim aliquos ad id creavit, ut essent exemplar suæ justitiæ, ut quidam hic horridius tam de creatione angelorum quam hominum declamant, metuentes, ne justitia div. penitus occulta & sepulta mansisset, nisi angeli & homines fuissent lapsi. Quasi vero nulla alia via Divinæ sapientiæ constare potuisset, per quam justitiam suam angelis & hominibus declarare novisset, nisi destinatione quorundam eorum, ad lapsum & peccatum, ut ita consequenter in pœnæ irrogatione justitia palam fieret: Siccinè SS. illi justitiæ per præcedentem injustitiam via erat aperienda? Postquam autem quidam libere defecerunt, hinc ex cælo in tenebras ceciderunt, Col. 1, 12. ceciderunt ex libertate in catenas, sicq; consequenter & secundario justitia Dei summa in illis manifestata fuit & æternum manifestabitur.

46. Progrediendum jam esset ad specialiores angelorum tum bonorum, tum & malorum considerationem, & quæ hic occurrunt speciales quæstiones: Verum instituti ratio hic jubet abrumpere: claudio

claudo igitur voto: *Faxit Deus* ut ipsius gratiâ illuminati, Diaboli mali-
tiam agnoscamus, in pietatis tramite cum timore & tremore ambule-
mus, super omnia nos indicat scuto fidei, quo possimus πάντες τὰ βέλη
& πονηρὰ τὰ πνευματικά extinguerē, ne spiritus illos administratorios
in nostri custodiam emissos, vita flagitiosa contristemur, aut plane à no-
bis fugemus, quo tandem ἰσχύει, Domino Zebaoth in omnem
æternitatem, in summa beatitate grati acclamemus

S. S. Sanctus JEHOVAH ZEBAOTH!

GLORIA IN EXCELSIS DEO.

TRamitibus, *Westarpe*, tuis, quos nomine Christi
Decurres, adsit Sacer Angelus, Improbus absit!

Cum gratulat.

Hermannus Schuckman / S.S. Theol. D.

& Prof.

DUCE MICHAELE CHRISTO

MEntibus Angelicis nostra est Ecclesia cura:
Et nobis cura Mens erit Angelica,

Grat. app.

Casp. Mauritius, SS. Theol. D.


P.P. & Eccles.

OMne peris tempus Musis quod mens studiosa
Deerrabit, hoc reputans Westarpi publica scandis
Pulpita, perge tibi laudemq; decusq; parare,
Sicq; præi nobis, domino auxiliante, sequemur,

Doctiss. Dn. Aut. & Resp. populari ac Amico suo
certissimo debuit

Johannes Kellerhaus, Lipp. Westph.

☞(o)☞




creare possunt, hoc enim infinitam requirit pot-
taturæ extra Deum communicabilis est: cum aut
insigni illorū potentia, hinc Angelus, imprimis cū
vini, ex materia aliqua Elementari corpus sibi faci-
tempus, donec suis defunctus sit muniis, assum-
corpus hoc aeræ statuitur naturæ ob evanescenti-
talibus corporibus sæpius observata fuit. Potest
condensare vel etiam alia admiscere elementa ut i-
bili, & determinata corpus appareat.

44. De modo unionis *not. hunc non esse hypostasi-*
sed accidentalem, per modum formæ assistentis non
est quod Angelus in tali adsumpto corpore no-
vitales tales, ad quos alias extra illud corpus pe-
proportionatus, v. c. cibum concoquere, per *χρ*
& *ὁμοίωσιν* eundem in corporis assumpti subst-
Quod si quærat, quorsum E. cibus adsumptus
tus per flammam vel per aliam quandam virtute
gnitam absumi.

45. Finis creationis Angelorum per se & primar-
hi Seraphici spiritus semper starent ante majesta-
ejusq; nomen gloriosum perpetuo celebrarent, j-
pedirent. Non enim aliquos ad id creavit, ut effi-
tia, ut quidam hic horridius tam de creatione an-
num declamant, metuentes, ne justitia div. peni-
mansisset, nisi angeli & homines fuissent lapsi. C
Divinæ sapientiæ constare potuisset, per quam
& hominibus declarare novisset, nisi destinatione
ad lapsum & peccatum, ut ita consequenter in p-
tia palam fieret: Siccine SS. illi justitiæ per præce-
erat aperienda? Postquam autem quidam libere d-
lo in tenebras ceciderunt, Col. 1, 12. ceciderunt e-
siccq; consequenter & secundo justitia Dei sur-
ta fuit & æternum manifestabitur.

46. Progrediendum jam esset ad specialiores
norum, tum & malorum considerationem, & q-
ciales quæstiones: Verum instituta ratio hi



lli crea
nster de
perii di
est & ad
autem
quæ in
vel aera
specta-

iale m-
q; hinc
re actus
est im-
ominor
ere & c.
a vel in-
is inco-

fuit, ut
onum.
pte ex-
æ justi-
homi-
pulta
alia via
angelis
orum.
ne justi-
iam via
ex cæ-
atenas,
ifesta-

um bo-
nt spe-
pere :
claudio